



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de diuo Paulo Apostolo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO DE PAVLO APO-
stolo habita à Christophero Iona,
Anno M. D. XLIII.



ROponit hoc die Ecclesia
meditandam Pauli histori-
am, ac Dei beneficium cele-
brat, qui & exemplum mi-
sericordie ceteris insigne
ostendit, hoste in gratiam re-
cepto, & nobis Doctorem

Insigne miseræ
cordiæ diuinæ
exemplum.

dedit, qui & uiuus annos fere sex & triginta E-
uangelium passim in bona Asia atq; Europe par-
te circumtulit. Et postquam ex hac militia euoca-
tus est, relictis utilissimis monumentis erudit Ec-
clesiam perpetuò.

Nihil autem magis decet præsertim in his cõ-
gressibus nostris, quàm & uocem nostram, et ani-
mos, & uota, cum Ecclesia Dei congruere. Quod
cum cogitarem, nulls de re alia potius, quàm de
Paulo dicendũ esse iudicauì, præsertim cum eius
historia nos de his ipsis studijs, in quibus uersa-
mur, & de uniuerso nostro curriculo, plurima
monet. Quem enim habemus alium Scriptorem,
qui genera doctrinarum, Philosophiæ, & Euan-
gelij, artificiosius discernit, qui usum utriusq;

Discrimen Phi-
losophiæ & E-
uangelij Pauli
num.

tam perspicue monstrat, qui nobis Rempub. nostram, id est Ecclesiam, clarius describit, qui sapius monet quarum rerum doctrina Ecclesie necessaria sit? Ac scio uos omnes Pauli nomen ita amare, ut consilium meum maxime probaturi sitis. Sed dicam ingenuè, quanquam nulla in re suuius acquiesco, quam in cogitatione doctrinae & actionum Pauli & similium utrorum: tamen amplitudo rerum me mouebat, ut aliud Argumentum potius quærerem: Vt enim Paulinae disputationes atq; actiones, uniuersam Ecclesiam complexæ sunt, ita de eis perspicue dici non potest, nisi religionis exordia, incrementa, & pleraq; certamina repetantur.

De his tantis rebus, quoties Paulus ipse conuocatur, superari se magnitudine earum fateatur, easq; nulla eloquentia satis explicari posse testatur. Cùm autem sic iudicaret uir tantus, qui erat uerius, quam Pericles orator tonans, fulgurans, & in mentibus auditorum aculeos relinquens, ardebat enim diuino motu atq; adflatu: Quid nos in hac imbecillitate nostra, dignum hac maiestate rerum dicere possumus? Ac ille quidem sese uocat ἄτερον, hoc est, factum immaturum atq; imbecillem, non parem cæteris Apostolis. Sed tamen illustribus testimonijs uocatus ad docendū

Pericles.

endi munus, diuinitus ad eam militiam instructus erat. Nos multo iustius agnoscamus nos ἐκτρέφω-
ματτα esse, hoc est, rudes & informes massas, ab
ortu editas, immaturas, pollutas.

Ego igitur de mea imbecillitate cogitans, ali-
ud argumentum instituerā. Sed me amici ad Pau-
lum, hac oratione reuocabant. Quod etsi hæc in-
firma mortalitas nec Dei naturam, nec eius bene-
ficia penitus introspicere possit, cogitari tamen,
agnosci, & affici ea Deus aliquo modo uelit. Ne
solis quidem fulgorem sustinent oculi, neq; tamen
propterea lucem fugimus. Quid? quod ipse Deus
pariter se senum, & puerorum uoce celebrari ius-
sit. Deniq; disputabant, & exemplum utile esse
ceteris, & bonis nullam orationem gratiorem fo-
re, hoc præsertim die, quàm qualemcunq; Pauli-
ne Historiæ commemorationem.

Horum obsecutus seu iudicio, seu studio, redi-
ad Paulum, uosq; oro, ut etiamsi amplitudini ar-
gumenti non respondebit oratio mea, tamen pro
uestra pietate, & candore uestro, hanc qualemcū
que operam boni consulatis. Illud etiā in hac tam
ampla causa nobis incommodum est, quòd tempus
ad dicendum multo breuius nobis conceditur,
quàm quātum huius argumenti ubertas postulat.
Quare breuiter summa sequar fastigia rerum,

H V ut

ut Poëta uerbis utar.

Ac si Panegyricos ueteres imitari instituissem, *Causæ harum cognoscendarum historiarum* primum de Pauli genere, patria, incunabulis, dicere: Sed aliunde ordiri decreui. Primum de causis monenda est adolescentia, cur pro sit has historias cognoscere. Sunt enim tres præcipuæ causæ, quarum prima est: Ut quid sit Ecclesia cogitemus, & diuinitus missos esse duces ac gubernatores agnoscamus, ac toto pectore Deo gratias agamus, pro donatis æternis bonis, & ministerijs, per quos ea hominibus impertit.

Altera causa est, ut rerum quas gesserunt, & uirtutum consideratio nos erudiat, ut melius intelligamus, quid profiteantur. Deinde etiam exempla unumquemque suo loco, & pro sua mediocritate ad uirtutis imitationem excitent.

Postremo, ut ueris et ardentibus uotis à deo petamus, ut ecclesiam seruet, ac nos quoque faciat organa utilia, adiuuet ac prouehat nostros labores, ut in commune proficiat ecclesiæ, sint salutare bonis, nec abiciat nos tanquam pestes generis humani, seu ut Paulus uocat, uasa iræ, quorum infelix curriculum multipliciter nocet communi uitæ, ut uixit Saul ad extremum, & alij innumerabiles.

Quos alij fines in panegyricis proponat, hic recitare longum esset. Sed ad hos quos dixi præcipue

cipuè referantur hæc Encomia, nostrorum Hero-
rum: per quos Deus mirando consilio, & im-
mensa bonitate nos ad cœlestis uitæ societatem
uocauit. Ac in horum finium expositione, tota
hæc oratio nostra uersabitur.

Primū igitur Deo æterno patri liberatoris no- I.
stri Iesu Christi conditori omnium rerū, gratias
ago, uosq; mecum toto pectore agere iubeo, quod Ecclesia,
Ecclesiam sibi perpetuā condidit, ac Doctores ad
eam instaurandā subinde excitat. Quorū uos ipsi
precipuos animis enumerate, inde usq; à Nohe.
Quid enim iucundius esse bonæ mēti potest, quā
de uirtute ac de certaminibus taliū uirorum, imò
de Dei bonitate cogitare, qui hoc ipso beneficio,
quod penè cōtinuis ætatibus instauratores excita-
uit, testatus est, ecclesiā sibi magnæ curæ esse. Sed
uenio ad secundū membrum institutæ partitionis.

Cum alia multa, tum uerò etiam constitutio et
series imperiorum, testatur hunc mundum Dei cō II.
silio ac prouidentia regi, Et, res loquitur in hero Imperia
icis Ducibus, ut in Cyro, Alexandro, Scipione,
Augusto, impetus supra communem hominum
naturam flagrare, & accedere fœlicitatem sine
gularē. Hanc Virtutis & Fortunæ ex Heroici impe-
cellentiam, sani omnes mirantur, & suspiciunt tus.
illos summos uiros, qui aliās alibi uel constitue-
runt

runt uel defenderunt, uel instaurarunt imperia.

Etsi autem his antecellunt nostri duces, qui ecclesiam gubernarunt: tamen eorum uirtus non perinde conspicitur ab ignaris rerum diuinarum. Magnificis sapientiam Solonis, Augusti, & similibus, quorum leges, magna imperia, multas gentes complexæ sunt. Prædicas Scipionem, cuius fortitudine & foelicitate, Roma difficillimis tempestatibus defensa est. Sunt hæc magna, Sed maius est munus Abrahæ, Eliæ, Esaiæ, Baptistæ, Pauli, & similibus, uidelicet, de filio Dei & eius beneficijs concionari, & certis testimonijs patefacere arcanam uoluntatem Dei, de rebus æternis. Ad hoc munus præcipuum, delegit Deus suos Prophetas, & Apostolos, In hanc stationem uocauit & Paulum. id eius proprium munus intelligere, & ab Imperijs discernere discamus.

Prophetæ &
Apostoli.

Multi ignari Ecclesiæ, longe anteferunt his miseris erroneis Apostolis, Cyrum, Alexandrum, Augustum, & similes. Multi putant artem uulgarum Apostolos circumtulisse, præcepta de moribus, & comparant eos cum Phocylide, Theognide, Hesiodo, aut certè cum Philosophis, ut Epicuro, & alijs. Hæc inerudita somnia abiicienda sunt, & discernendus est Euangelij Doctor, à Ducibus, & legumlatoribus, & Philosophis.

Excellentius
hoc genus doctrinæ
quàm
omnium Philosophorum.

Aliud

Aliud genus doctrinae commendatum est Prophetis et Apostolis. Et quanquam eadem uox, eademque sententia est Prophetarum & Apostolorum omnium, de Christo et eius beneficijs, tamen explicatio Paulina illustrior est. Ut igitur in alijs negocijs, aliorum uirtus magis eniuit: Elias deleuit idolum Baal in Israël. Esaias depulit Assyrios ab urbe Hierosolyma. Ieremias prorsus nouo modo, contra uetera exempla gentem seruauit, suadens deditioem & triste ac arumnosum exilium, Ita & Pauli proprium quoddam est decus.

Doctrina Pauli

ii.

Non modò latius sparsit Euangelium quam ceteri, sed etiam futurae ecclesiae ad finem usque monumenta talia condidit, quae illustrius discernunt Euangelium à Lege & politica sapientia, quam literae reliquorum Prophetarum & Apostolorum. Id beneficium si qui leue esse ducunt, hi uel inscitiam suam uel impietatem consitentur. Nam multum omnino refert ueras metas et uera discrimina harum doctrinarum intelligere, legis diuinae, Philosophiae, & Euangelij. Haec Paulus, tanquam in iudicio finium regendorum, conspicuis limitibus distinxit, & cuiusque generis usum monstrauit.

Hoc discrimen confundere, tristius est quam solent

tem è mundo tollere. Sequuntur enim horrenda te-
nebre, obliuio Christi, interitus ecclesiae. Quid ex-
nim interest inter Ethnicos et Ecclesiam, amissa
hac luce, qua statuit Ecclesia, se certò placere
Deo, se respici, exaudiri, seruari, propter filium
mediatorem. Retinuerant Graeci & aliae multae
gentes, doctrinam de honestis moribus, de discipli-
na. Quàm multi sapientia et uirtute praestantes,
apud Ethnicos, norant esse Deum, unam quan-
dam aeternam mentem conditricem rerum. Ut Pla-
to et eruditè et rectè describit Deum, inquit, a-
ternam mentè esse, causam boni in natura. Quid
Esaias aut Paulus dicere aptius poterant? Quid
igitur interfuit inter nostros & Ethnicos? inter
Platonem et Paulum? Euangeliũ facit discrimen.
Etsi norat Plato esse Deum, esse mentem aeternam,
causam boni in natura, tamen dubitabat se respi-
ci, agnoscebat se uitia quaedam habere, digna poe-
na. Fugiebat igitur Deum, non uerè inuocabat,
et dubitatio magnam ruinam trahit, ut nominat
Paulus, peccata quae per legem existunt.

Ethnicorum.

Plato.

Paulus.

Contra Paulus agnoscit quidem se habere ui-
tia digna poena, sed uidet missum esse filium Dei,
ut sit uictima pro genere humano. Scit certò De-
um praecipere, ut propter hunc statuamus nos
recipi in gratiam, exaudiri, & seruari. Scit
nusquam

musquam esse Dei Ecclesiam, nisi ubi hæc de filio doctrina lucet. Scit iam se non esse sine Deo, sed inuocat hac fide Deum, & ab eo gubernationem, defensionem et salutem expetit, et expectat: Hæc cum ex promissione data primis parentibus intellexerent pij, gentes oblita promissionis, hanc lucem amiserunt, quam quidem rursus accendit Deus, cum per Apostolos spargi Euangelium inter gentes uoluit.

Et ut Paulus clarius testari posset, recipi nos propter filium Dei in gratiã, non propter nostras uirtutes, tunc uocatus est cum acerrimus hostis esset Christi, ac iudicaret Euangelium nõ modò facem esse seditionum et distractionũ Ecclesiæ Dei, sed etiam contumeliosum esse aduersus Deum, arderetq; odio Euangelij non mediocri, etiam aspersus Sanctorum sanguine, & cruoris sitiens, tristorem carnificinam moliretur. Hæc omni contentione animi agentem Christus uocat. Ac testatur Paulus ipse, commonesieri uniuersam ecclesiam exempla suæ uocationis, ut sciamus, certò nõ propter legem, sed propter filium Dei gratis nobis Deum ignoscere.

Nulla merito suo Paulus uocatus est.

In hunc igitur locum incumbit, Docet quomodo Deus inuocandus sit, fiducia mediatoris, docet inchoandam esse obedientiam, & quomodo placeat,

Vna Ecclesiae
uox perpetua.

ceat, monstrat certam & firmam consolationem
pijs, quae est inchoatio uitae aeternae. Traduntur
eadem in Prophetis & ceterorum Apostolorum
scriptis. Vna est enim perpetua uera Ecclesia
uox, de beneficijs filij Dei. Sed multum lucis ad-
dit Pauli disputatio, qui uerè interpres est Pro-
phetarum.

Cecitas huma-
nae mentis,

Sed ô deplorandam caliginem humanarum
mentium. Etsi haec tanta res satis perspicue in Pau-
lo exposita sunt, tamen & sunt & fuerunt homi-
nes alioqui non indocti, qui cum uiderent non
quadrare τὸ γὰρ in Paulo ad rationis humanae
iudicium, de iustitia et de lege, discesserunt à Pau-
li uerbis, & confictis quibusdam corruptelis,
transformarunt Paulum in humanas & Philoso-
phicas opiniones.

Regula Basilii.

Atqui oportuit nos auditores ac discipulos
esse, non Criticos seu censors sapietiae caelestis,
quae si nihil à Philosophia differret, quid opus es-
set uoce Euangelij, quod filius Dei ex sinu aeter-
ni Patris protulit? Si existimamus Apostolos
quod senserunt et uoluisse et potuisse eloqui, pro-
fectò conuenit ex ipsorum oratione dextrè collatis
membris sumere sententiam, & ut dicit Basili-
us, ποτὶ ἀνάγκη τὸν λίθον ἐφαρμόζειν, accom-
modare Lapidem ad Regulam, non Regulam
ad

ad humanas opiniones inſectere.

Agamus autem Deo gratias, quod in Eccleſijs noſtris rurfus ſimplex & germana ſententia lucet, ad quam retinendam, duabus rebus, adoleſcentes, opus eſt, uera animi pietate, et acerrimo ſtudio omnium bonarum diſciplinarum. Quod Paulus præcipit Timotheo, ut depositum, uidelicet, Euangelium ipſius fidei commendatum, cuſtodiat & tueatur: Idem uobis ſeueriſſimè præcipi ſtatuite, quos ad ſocietatem eiufdem muneris uocauit, quod Chriſtus, Propheta, & Apoſtoli adminiſtrarunt.

Ac ſepe mihi cogitanti de hac Academia, quam meritò amamus, tanquam fidam nutricem, alentem nos et cœleſti doctrina, & omnibus alijs honeſtis artibus, in mentem uenit eius nauis, in qua Paulus uehitur ex Iudæa ad Meliten uſque, quæ eſi inter ſcopulos ita iactata, ac ſeuitia tempeſtatum ac fluctibus concuſſa erat, ut laceratis ac fatiſcentibus tabulis uideretur iam merſura nauigantes, integra tamen in portum peruenit, quia Paulum uehebat. Ita & Academiam ſpero manſuram eſſe, donec Paulum uehet, hoc eſt, reſtè & fideliter enarrabit. Huius enim doctrina lumen eſt, ut ſupra dixi, Propheticarum & Apoſtolicarum concionum.

I Moneor

Voitebergæ ueſ
hic Paulum
per mare.

Moueor equidem temporum periculis, & im-
pendere mutationes Regnorum, quæ sunt fatales
pœnæ scelerum humanorum, nihil dubium est.
Sed tamen seruabit Deus Ecclesiam suam, & de-
fendet aliqua piorum studiorum domicilia. Qua-
re tantisper dum hæc Schola Doctorem Paulum
audiet, & hæc studia mediocri diligentia regen-
dorum morum ornabit, hanc sedem & hos cœ-
tus Deus, ut spero, proteget. Sed redeo ad Enco-
mium.

Capita Pauli-
næ doctrinæ.

Prodest imprimis Ecclesiæ, collatio ut dixi
Legis & Euangelij, quæ in Pauli scriptis copio-
sius & illustrius, quàm alibi explicata est. Pos-
sum & alias quasdam materias addere, quæ ab
ipso planius tractantur, Discrimen iustitiæ spiri-
tus ac politice, et discrimen ecclesiæ et imperio-
rum. Damnat item perspicuè ἐδαλοθηκοσκειας, ut
sciamus quibus officijs iudicet se Deus honore af-
fici. Munit et pacem ciuilem, ornat amplissima lau-
de totum politicum ordinem, magistratus, leges
honestas, iudicia, contractus, militiam, coniugium,
œconomiam.

De his rebus sententias huius Doctoris lon-
gè antefero Platonis, & Aristotelis politi-
cis, etsi hæc quoque sapienter scripta sunt. Sed
addit Paulus salutarem doctrinam, testatur hæc
uita

ita officia à Deo ordinata esse, ideoq; sic in-
ter se deinctos esse homines procreatione, edu-
catione, gubernatione, contractibus, ut in his
bonis rebus ostendamus alijs, nostram de Deo
sententiam, exerceamus inuocationem, & mu-
tuam beneuolentiam. Docet item hos labores deo
uerè placere, & grata munera & sacrificia
esse.

He Pauli sententiæ, haud dubiè multos gra-
ues uiros, qui sentiunt quantum onus sit guber-
natio, retinent in sua statione. Certè in meo ani-
mo, amorem & reuerentiam legum & ciuilium
officiorum ualde augent. Ac scitis his proximis
annis, præcipuè Pauli testimonijs in hoc genere,
refutatos esse fanaticos homines multos, qui ple-
raq; officia politici ordinis furenter damnabant,
ut olim similes Marcionis & Manicheorum fu-
rores iisdem de rebus, præcipuè suffragijs Pauli
oppressi sunt.

Huc accedit, quod in præceptis politicis, qua-
dam non uulgari prudentia monet gubernatores
non hebetem aut rudem, de rebus non leuibus, sed
de neruis boni status, & de fontibus maximarum
mutationum.

Vsitatum est peccare gubernatores ignaui, &

I ij multè

Pauli testimo-
nijs multos esse
refutatos.

multi sapientes & acres peccant πολυπροχλεσ
 σών. Sape igitur monet hunc morbum cauens-
 dum esse: Et quia ex ambitione oritur, eruditissi-
 me opponit contrariam ambitionem, iubet nos
 hanc gloriam expetere, uidelicet, studium manen-
 di intra septa & metas nostri muneris, seu ut di-
 citur, ut suam quisq; spartam ornet.

Sed popularia ingenia magis gloriosam esse
 ducunt πολυπραγμασών, passim se ingerentem,
 multos laceffentem, tranquilla consilia turban-
 tem, deniq; negotia undiq; attrahentem, ut Cacia-
 as nubes ad sese attrahere dicitur.

Cleon

πολυπραγ-
 μων.

Tales fuisse multos in historijs legimus, ut
 Cleonem, quem dicebant alterum pedem in ca-
 stris, alterum in curia habere. Quam multi nunc
 sunt, qui alterum pedem in curia, alterum in ara
 collocant, hoc est, qui suis tantum consilijs Res-
 pub. regi, & prorsus ad sua iudicia doctrinam
 attemperari in templis uolunt. Sape hoc malum
 Ecclesie nocuit. Sed omitto exempla præcepto-
 rum. Nam lector non rudis uitæ communis, si
 expendet Paulinas admonitiones, animaduertet
 eum multa significare, quæ sapienti, & sagaci go-
 bernatori prouidenda sunt.

Paulus fuit li-
 beratus.

Iam & hoc obseruet iuuentus, Paulum literis
 & doctrina excultum fuisse, quod lumina uer-
 borum,

borum, & ordo rerum in disputatione ostendunt. Vitur enim multis insignibus uerbis, quorum pondera sine liberali eruditione non intelliguntur. Nihil potuit dicere trifidus, nihil atrocius ad significandam acerbitatem odij, quo ardent hypocrita aduersus Euangelium, quam cum ait, Apostolos dici καδάμαρα & περιήματα. Hæc uerba sine cognitione ueterum historiarum intelligi non possunt.

Sæpe uerbo συμβόλησιν, cum de mutua dilectione concionatur. Sed historia uim uerbi declarant. Videt Paulus multos de industria hoc agere, ut distraherent uoluntates hominum. Monet igitur ut consilia in actionibus dirigamus ad consociandas uoluntates, & fouendam mutuam beneuolentiam, quod fieri non potest, nisi quadam moderatione, & Philosophia regamus impetus animorum. Ita uocant συμβόλησιν consilia historiae, quæ ad hunc finem, quem dixi, directa sunt: Hanc diligentiam, ut nobis commendat, insigni uerbo historicorum usus est.

Iubet Doctores rectè secare doctrinam: Bella metaphora est à sacrificijs sumpta, in quibus ars erat partiri membra, quorum alia cremabantur, alia erant attributa sacerdotibus. Et hæc imago multa significat.

Possent plurima exempla recitare, si tempus pateretur, quæ ostendunt, Paulo nec eruditionem, nec diligentiam defuisse. Et ad intelligenda eius uerba eruditione opus esse. Quod eo dico, ut & ipsum legant scholastici attentius, & ut rectius adsequantur, adiungant liberalium artium doctrinam.

Dixi de genere doctrine, quod Paulus maxime illustravit, ac de alijs quibusdam doctrine locis. Nam in Apostolo præcipue considerandum est genus doctrine. Adderam etiam quedam de eius uirtutibus: Sed harum quantum decus sit, non ita multo post uidebimus, cum eius consuetudine fruemur, cum res eius gestas à Christo prædicari audiemus, & multa eius auditores sciscitari poterimus. Nulla enim oratio par magnitudi-
dini harum uirtutum excogitari potest.

Paulus nostrum
exemplum,

Sed tamen exempla non negligenda sunt. Eius gradus uirtutum non imitamur, tamen initia communia esse omnium debent. Confirmatur fides nostra, cum ait, se grassantem hostiliter, ideo uocatum esse, ut discamus Deum uere propter Christum nobis ignoscere, modo ut confugamus ad ipsum. Expectemus auxilium & defensionem, cum in eodem munere uersemur, in quo ipse uersabatur.

Postremo pro nostra mediocritate caueamus.

ne malis moribus excutiamus cœlestia bona, ne-
ue dolore afficiamus Spiritum sanctum. Vt pi-
ctor, ut Architectus habent ideam, & exempla
operum suorum, in quæ semper intuentur: Ita
hec uiuendi ars postulat, ut aliquos laudatos
uiros mente intueamur, quos aliquo modo se-
qui, & imitari studeamus. Vt Cicero La-
lium sibi proponebat, alij alios, ita nos in Ec-
clesia Paulum, Ieremiam & similes intuea-
mur. Horum exemplis fidem confirmemus,
excitemus inuocationem, imitemur eorum tol-
lerantiam, lenitatem, & diligentiam in omni offi-
cio.

Hactenus de Paulo, quantum & ingenij mei
tenuitas & temporis angustia concessit, dixi.

Reliqua est pars inuestæ orationis tertia.

Pie mentis est sepe multumq; cogitare, quo-
modo Ecclesia condita sit, quem habeat Ducem,
quos hostes: Vnde sit hæc infirmitas generis hu-
mani, unde horribilis confusio uitæ, tot gentium
atq; impiorum euerisiones, & qui portus Eccle-
siae sit inter tanta pericula. Cumq; humana di-
ligentia seruari Ecclesia non possit, oremus
Deum ueris animorum motibus, ut sua immensa
bonitate propter filium seruet Ecclesiae reli-
quias, & det eis tranquilla hospitia, in aliquibus

I iiij imperijs,

III.
Pro Ecclesie
conseruatione
orandum.

imperijs, defendat & iuuet studia, quibus ipse ne
re celebratur, nec sinat extinguere noticiam Euange-
gelij sui inter homines, nec sinat totum genus hu-
manum ruere in æternum exitium.

Quis est tam ferreo pectore, aut tanta natu-
re immanitate, ut cogitans, quanta hominum
multitudo manifesto furore contemnat Deum, &
sibi æternum exitium accersat, non deploret hu-
manam miseriam? Ergo ne tota natura hominum
prorsus pereat, excerpi reliquias, ac seruari oremus.

Exempla om-
nium ætatum
consideranda.

Deinde de sese quisq; cogitet, exempla uideat
omnium ætatum & consideret, quorum cursus sa-
lutaris generi humano fuerit, & horum sequatur
uestigia. E contra uerò caueat, ne abiiciatur in-
ter pestes generis humani, quales multi fuerunt,
ut Cain, Pharaon, Iudas, Marcion, Manichæus, &
alij.

Quod in scena dictum est: Vitam regit fortu-
na, non sapientia, explodatur ex Ecclesia. Regi
uitam sapientia non humana, sed diuina sciamus,
quæ duas res complectitur. Iubet te Dei manda-
tis parere, & ab ipso gubernationem petere. Ut
Psalmus inquit: Subditus esto Deo, & spera ab
ipso auxilium. Hanc sapientiam, si duces seque-
mur, erunt foelicia $\omega\delta\lambda\iota\tau\acute{\epsilon}\nu\mu\alpha\tau\alpha$.

Quam

Quam lōgus est catalogus eorum, qui freti sua
 sapientia, neglecto Deo, et se et Respublicas euer-
 terunt. Non dicam de ueteribus, de Pharaone, de
 Achab, de Sedechia, de Alcibiade, & similibus.
 Nostra tēpora uidete, meministis exordia tumul-
 tus Monasteriensis, cum homines fanatici auda-
 cter falsas opiniones sererent, et paulatim furor
 cresceret, ut amentia contemptum Dei sequi so-
 let, exitus quā tragicum & horrendum fuerunt?

Humana sapi-
 entia euerit
 omnia.

Nec tantum hoc deplorandum est, quod tot
 homines miseri uel fame, uel ferro, uel alijs cladi-
 bus perierunt. Sed multo tristius est, quod Deus
 contumelia adfectus est, quod multos error in æ-
 ternum eritium præcipitauit, quod Diabolus tri-
 umphum egit, tot miseris à Deo auulsis. Hæc spe-
 ctacula insueamur animis, ut queramus sapienti-
 am, quæ mentes ita regat, ne in tales casus cæci
 præcipitemur.

E contra conferte Ieremiæ politiam, quæ in spe-
 ciem misera est, cum sit salutaris populo, & uere
 gloriosa, annos amplius quadraginta cōcionatur
 de excidio ciuitatis, de dissipatione gētis et reditu
 reliquiarum, toties abijcitur in carcerem, sepe ra-
 pitur ad supplicia, tandē interficitur, uel à suis,
 uel à superbissimo rege Aphricæ, cui etiam uati-
 cinatus erat exitium. At hic quanquā exercetur

Politiā Iero-
 miæ.

magnis calamitatibus, tamen seruator est sua Reip. Nam huius consilio flos Ecclesie Ieconias, & aliquot millia ciuium deditioem fecerunt. He reliquie fuerunt seminaria, quae instaurarunt postea Remp. Nunc cogites animo quorum similitudo magis optanda sit, Samuelis ne, Esaiæ, Ieremie, Pauli, an uerò Alcibiadis, Catphæ, Iude, Marcionis, Rullij Monasteriensis.

Hec si saepe considerarent iuuenes, profecto essent modestiores, & cum doctrinâ salutarem audius expeterent, tum uerò etiâ à Deo gubernationem postularent. Ut ora seruari Ecclesie reliqui-

as, ita petito, ut te deligat inter organa utilia generi humano, nec te abijciat inter *ἀνάσσοις*, et ut Paulus uocat inter uasa iræ. Non enim uult deus se ecclesia sua Deus. Sed petentibus toties clarissime adfirmat se opitulaturum esse, & iureiurando confirmat suas promissiones. Cur ad eum non accurrimus, qui etiam iureiurando nos inuitat? Sit mediocris diligentia in regendis moribus, & in studijs, & accendatur animus ad inuocationem. Hec profecto non erunt inania. Sic enim Paulus adfirmat, Deus est, qui & ut uelitis efficit, & dat successus.

Sciant pij se à deo excitatos esse, ut salutaria discant, ut ad Ecclesie gubernationem præparentur.

Hi con

Quomodo pro reliquijs ecclesie orandum.

Hi conatus nō erunt irriti, modō ut *cursum tuum* urgeas, nec abijcias inchoata studia. Alij uoluptatibus languescunt, alij desperatione prēmiorum, alij alijs periculis deterrentur, ut est magna humane nature infirmitas, ne doctrina se instruāt, qua opus est Reipub. neūe partem publici laboris expectant. Multos etiam temporum miseria iam frangunt, cum Turcica castra sunt in conspectu. Quis erit, inquit, literarū aut doctrine usus, si hæc omnia uastabuntur armis Turcicis? Cohorresco audiens, aut cogitans hæc *δυσπραγία*. Sed optimi adolescentes, ingentibus animis repugnemus, cum cæteris difficultatibus, tum etiam his terroribus. Eō magis colantur studia, quō maius impendet periculum, ut qui erunt superstitēs, possessionem artium, quæ uitæ utiles sunt, retineant. Etiam si fatales pœnæ oppriment mundum propter Epicureos furores, idola, libidines, & alia flagitia, tamen certō scimus mansuram esse Ecclesiam Dei, & quidem in hac ultima mundi senectate futuram augustam, & seruitute oppressam, sed mansuram tamen.

Nervos igitur atq; ornāmēta noster ordo retineat, qua in re hac etiam cōsolatione uos erigite, quod etsi latē grassatur rabies Turcica, tamen quintā Monarchiam nō constituet. Non omnes in
Europa

Quid plerisque
que à studiis
deterreat.

Europa gentes hæc barbaries opprimet, sed nihil de imperijs dicam, Deo potius Germaniam nostram commendo, cui in hac calamitate iam prohdolor nimis uerè congruit Almaniæ nomē. Nam Almana Ebræis uidua est.

Ecclesia perpetuo mansura est.

Verùm reuoco me, de Ecclesia cogitemus, hanc etiam si qua erit imperitorum perturbatio, mansuram esse sciamus. Huic seruiat nostra militia, propter hanc retineamus doctrinæ possessionem, ut fecerunt in exilio Chaldaico Daniel, Haggæus, Zacharias, et multi similes uiri docti. Etsi certa sedes Ecclesiæ non est in imperijs, tamen hoc promittere pijs Principibus possum, tantisper dum in hac cymba, id est, in Ecclesia erunt, imperia eorum mansura esse. Sed qui hanc cymbam excutient, qui uasitatem in Ecclesijs sua negligentia facient, ut faciunt pleriq; , qui studia literaruis extinguere sinent, hi audiant has minas, Ecce oculi Dei super regnum peccans, et delebit illud. Addit autem Propheta eandem consolationem, quam toties iam recensui, sed Iacob inquit, non delebo, etsi ut triticum in cribro concutiam, ac purgabo. O miras descriptiones & imagines Ecclesiæ, præsertim nostri temporis, quæ haud dubiè propositæ sunt, ad præmonendos & confirmandos pios, in his ipsis periculis, quæ iam ob oculos

culos uersantur. Non est ignauium agmen Ecclesia, sed intelligit sibi in hac uita arumnas omnis generis propositas esse, et tamen interim doctrina possessionem tuendam esse, nec abijciendam, propter regnorum excidia.

Quare animos uestros confirmate diuinis praemontitionibus, incumbite in studia salutaria uita, et militiam hanc non solum gratam esse Deo stauite, sed etiam ab eo adiuuari. Hac spe si petetis auxilium, certum est, non fore irritos labores uosiros, sed salutare uobis & alijs, quo quid potest homini melius aut gloriosius contingere. Hec cogitanda sunt, quia certe hominis est, ad quas metas uita dirigenda sit, et quomodo in tantis fructibus regenda, mediocri quadam diligentia prospicere.

D I X I.

Responso